



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

**Petri De Dusburg, Ordinis Teutonici Sacerdotis, Chronicon
Prussiae**

Petrus <de Dusburg>

Francofurti ; Lipsiae ; Regiom. Pruss., 1679

Cap. CCCXL. De Morte quorundam Lethowinorum.

urn:nbn:de:hbz:466:1-11850

centioribus pertractant hanc materiam fusè, Centuriatores Magdeburgenses per singula Secula, & Ludovicus Cresfollius in *Myflagogo lib. 2. cap. 13. sect. 13. pap. 277. seqq.* Postea Episcopis hoc onus subterfugientibus in Monasteriis solebant Scholæ institui, ut præcipit Carolus M. in *Capitular. cap. 72.* Multa hic cumulare exempla operæ non est, cum alii hoc jam præstiterint. Dusburgius etiam hoc testari potest, qui Clericos in Scholis trucidatos esse refert.

CAP. CCCXL.

De

Morte quorundam Lethovinorum.

HOc etiam anno tempore messium frater Henricus Comendator de Tapiovv cum octo fratribus & CCC. viris equitavit ad Campum (a) Semegalliæ, qui ex oppositò Castrum Pastovix situs est, & messores (b) Lethovinorum quos quæsit non invenit laborantes, propter tempus pluviale receptis ergò XXXIV. equis, rediit. Sed Lethovini sequentes cum venirent ad locum, ubi fratres posuerant Insidias, unus missâ forte secundum ritum gentilitatis clamavit altâ voce: Cito revertamur insidiæ Teutonicorum fratrum sunt hîc. Quo audito dum Lethovini recederent fratres de insidiis exilientes sequebantur, & ex eis XII. occiderunt.

ANIMADVERSIONES.

- (a) Provincia hæc ultima est, quæ restitit Ordini Teutonici in Livonia. Singuli enim ferè Magistri Livonici in Semgalliam expeditiones suscepisse leguntur, usque ad Conradum ab Herzogenstein, quem circa An. 1288. Semgallos sub jugum missile refert Balth. Russovv. *Part. II. Chron. Livon. pag. 30.* Sed ex hoc loco Dusburgii colligimus, etiam post tempora Conradi illius Semgallos rebellasse.
- (b) Lithvanis sese Curoni & Semgalli subjecerunt, ne ab Ordine Teutonico Religionem Christianam suscipere cogerentur. *Vid. Notas ad cap. LXXXI.*

CAP.